Viro Praeclarissimo Domino Suo
Carolo Aloisio Cardinali Morichini
qui Archiep: Boniensis amplissimus
Religionem Et Bonas Artes Fovet Amplificat
auctor addictissimus

ALEXANDRI AMBROSI

ADVOCATI URBANI

DE

# S. PONTIFICE GREGORIO SEPTIMO

## ALCAICON

DE VARIIS ITALIAE REGNIS

AB ODOACRE AD DESIDERIUM

DEQUE PONTIFICIS IMPERIO ROMAE INSTAURATO

DISCEPTATIO ACCADEMICA

ROMAE
TYPIS MONALDIANIS
1873

VIII Calendas Iunii Anno MDCCCLXXIII

Qua Septima Saecularis Commemoratio Celebratur

**SANCTI PONTIFICIS GREGORII SEPTIMI**

Vota Et Preces

# PRO PONTIFICE SUMMO PIO NONO

Eius Glorias Et Aerumnas Mirifice Aemulante

Quas

In Carcerem Detrusis Eodem Pontifice Maximo

Iacobo S. Mariae In Via Lata

DIACONO CARDINALI ANTONELLI

BARTHOLOMAEO PACCA AUGUSTO NEGRONI

LAURENTIO RANDI

Principis Maiestati Et Publicae Incolumitati

Tuendae Praepositis

Edebat Ad Augendum Obulum Catholicae Charitatis

Cum Pontificis Iurium Disceptatione

ALEXANDER AMBROSI ADVOCATUS URBANUS

Apud Beneventanos Litibus Dirimendis Olim Praefectus

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/despontificegreg00ambr

# ALCAICON

Exorta tantis fulgida plausibus
Alma est dies quae Pontificis dies,
Gregorii qua saeculares
Quisque cupit replicare laudes.
Si flore et hymno plaudere gestiunt,
Et ipse pollens solvere carmina
Precabor, et Musis amicus
Incipiam latiale munus.
Precabor ultro, Volscus et Hernicus
Precatur una plurima gestiens
Offerre thura et replicatis
Hisce Deum precibus fatigat.
O qui superno cernis ab aethere
Sit quanta virtus Pontificis tui,
Serva Patrem Regemque, cunctisque
Auxilium columenque serves.
Navem gubernat Navita sedulus,
Nec saxa et undas nec scopolos timet,
Da Navitam Navemque semper
Impavidam superare fluctus.

Ut ordinatus miles ad asperas
Pugnas, verendus praelia dimicet
Bellator, et Christi sit usque
Haeretico metuendus hosti.
Et Pastor agnos pascere polleat
Vigil, benignus, dictus et arbiter
Dum christianae quaestionis
Jus valeat validare Romae.
Gregorius ceu firmiter irritas
Iras et ausus fecerat hostium,
Perfringat omnes haeresis quas
Insidias inimica tentat.
Non carcer illum dimoveat Patres
Qui congregat, Gregorio et alteri
Sit, exuli ceu vinculis stricto,
Eximium sine morte nomen.
Et Roma plaudat, plaudat et insuper
Quam cuncta sanctis alma Fides ligat
Tot vinculis, quantisque fiat
Gens superis religanda signis.

# DE VARIIS ITALIAE REGNIS
## AB ODOACRE AD DESIDERIUM
## DEQUE PONTIFICIS IMPERIO ROMAE INSTAURATO
DISCEPTATIO ACADEMICA

QUAM GRATI ANIMI ERGO DEDICABAT ANNO 1864

ALEXANDRO FRANCHI

ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI A SECRETIS S. CONGREGATIONIS NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITAE

**ALEXANDER AMBROSI ADVOCATUS URBANUS**

APUD BENEVENTANOS LITIBUS DIRIMENDIS TUNC TEMPORIS PRAEPOSITUS

Postquam Asiae et Aegypti Imperia floruerant, cumque non parum gloriosa fuisset Aethruria, Roma Universi Domina et Magistra vocabatur; Reges eius Reipublicae cedebant, qua corruente, tot post ferales discordias, Caesareum Imperium fundamentum invenit. At humanum opus nec durat, nec facile durare poterat tantum opus Imperii, nisi Evangelica virtus magis magisque humanas mentes inflammasset; ex quo factum est, ut tanto corruente humanarum virium monumento, non semel ac iterum nobis cogitandum sit, quam facile civilis societas corrumpatur, et facillime dissolvatur corrupta. Verum Providentiae non deerat novum amoris vinculum, quo scilicet homines allicierentur, ex quo per Christum Dominum nova nobis

edoctis amoris praecepta, magis magisque humanae societatis eniteret magisterium, atque ita revera Pontificis Roma supra Augusti glorias inclaruit, et trina tum floruerunt, tum pariter ceciderunt Italica Regna, Herulis scilicet Ostrogotis et Longobardis tradita. Cum enim Odoacer addictus esset Imperatoris militibus Italiam occupantibus, Scytae Alani et Gothi Imperii machinam cadentem videntes, tertiam terrarum partem quam colebant petierunt ut vitam ducere possent honestam; cumque eorum petitionibus non adhaereret Imperator, Odoacrem de stirpe Gotha sed in Italia a primis aetatis annis adauctum, regem dixerunt.

Nec placuit Regi illi indui regali veste, nec imperialibus aut regalibus signis cohonestari, tanta enim reverentia et obsequio erga Orientis Imperatorem afficiebatur; cumque apud Ticinum idest Papiae in vincula detrusus esset patrizius Orestes, morte eum damnat Odoacer, et plurimam Italiae partem percurrens, Romam venit, ita ut et plurimam Romani Imperii partem cadentem omnes lamentarentur, et Romanorum tum moralis tum materialis vitae defectus innotuit, cum, prout antea, non amplius virtutem recolerent. Imperii religio defecerat dum Evangelii Fides super eam a coelo sublevata magis magisque terrarum orbem ad veram Orthodoxamque vitam erigere debebat, vel magis quia centrum veritatis et fidei effecta est Roma, eiusque Orientalis Imperii reliquiae per

primum Italiae Regem eius maenia attigentem corruere debebant, omnesque populos sibi adversos profligare ac perdere.

Neque regali neque imperiali titulo cohonestari voluit Odoacer, etsi rex ab historicis dicatur, et Cassiodorus ipse celebris Calaber, et veterum rerum omnium collector, regem fuisse nos doceat. Docemur et pariter nunquam, ut dixi, Regis purpura indutum fuisse, dum populi Italici Regem eum venerabantur per Consules et Senatum Romae sedentem, perque Curias et Municipia quae in oppidis reliquis constituebantur. Ilius vero patrizius et Orienti praefectus novam minitabatur insidiam, ubi cum populi Zenonis Imperatoris Constitutiones non paterentur, eius vitae insidiabantur, donec Iustinianus Imperator per Bellisarium ac Theodoricum, barbaros illos omnino voluit debellari.

Horum alter Consul ab ipso Zenone dictus in Oriente, dum Ilius et Leonzius apud Isauriam in vincula detrusi, non paucas et passi obsidionis iniurias et poenas, annona deficiente, dant manus victas; et interim hic ipse Theodoricus qui contra rebelles tot tantaque pro Zenone operatus fuerat, cum huius insidiarum vel maxime doleret, Italiam sibi ipsi addicere non dubitavit.

Ut tantum augeret studium, Zenonis ipsius exemplo excitabatur, tum et desiderio vindicandi mortem Rhugorum Regis cui sanguine iunctus erat, tum denique et Gothorum precibus replicatis.

Hinc cum Odoacrem in vincula deiectum apud Ravennae Urbem post pacis pacta extinctum vidisset, Italiae Rex renuntiatur; hinc inde Regnum felicitatis fontem experti Italiae populi, cum et ob redemptionem servorum quos in Liguria Gundobaldus captaverat, tum ob cultum exteriorem quem catholicae Ecclesiae profitebantur, tum ex non dubiis amoris signis quae populis largiebatur Theodoricus, qui nunquam passus vel Centurionibus circumdari, vel Orientalibus vestibus indui, vel usus omnes et consuetudines abrogare.

Et Cassiodorus Calabrum decus quem antea recensui, una cum Boezio ministrabat ei, perque eos vetus Italiae decus renovabatur, donec Religionis vinculum et Regiae Potestatis timor novas non adduxit iras, quas facile erat admodum praevidere et avertere; Boezius itaque cum Simmaco occisus est, atque ita Thodorici Regis amplissimi non parum gloria defecit. Non omnes ei se subiicere patiebantur Ausoniae populi, quemadmodum scimus Aethruscos praesertim et Appulos noluisse, ac tandem moriturus et ipse, novam mentis aciem recipiens, novisque cordis affectibus inflammatus, eo quo antea vixerat modo, pacifice moritur, tum Romanos tum Gothos valde commendans, eosque deprecans tum et oretenus tum per Missos, ut concordiam servarent, neque eum imitari vellent Christianos iniuste castigantem.

Nepos eius Amalasunthae filius Atalaricus, Regnum consequitur in minori adhuc aetate, nec ei Cassiadori ministerium deerat: Atalarico mortuo Theodatus succedit, qui aegre ferens Amalasuntam, hanc prope Bolsenae lacum iubet relegari ut morte moreretur durissima. Quapropter non semel ac iterum defecit Italiae tum ordo tum et gloria , donec Orientis Imperator, vel ut Amalasunthae mortem vindicaret, vel ut discordias abscinderet, eam recuperare conatur Imperio, tantumque opus Narseti ac Bellisario committit. Alter post irritos alterius conatus Graecam Dominationem in Italia statuit eodem illo loco quo commoratus fuerat Odoacer, ibique non Italiae Rex sed Graecorum Dux et Magister nuncupatur; et ita vel ipsa renovatur divisio, cum gubernantes renoventur ad invicem, novaeque leges veteribus addantur, novusque amicus amico nationali, vel hostis superaddatur et hosti.

Gothorum reges Totila et Teia Romam usurpare cupientes perierant, Germaniaeque ductores hostium Leutaris et Butilinus Urbem aggredi cessant, cum unus ab Artabano devictus, alter a Narsete occisus fuisset. Cumque hic non pateretur apud Orientis Imperium ex Italiae Ducatu revocari, et magis ex eo quod ironice admodum per Imperatricem revocabatur verbis illis notissimis « ut eunucus ad lanas ducendas cum faeminis reverteretur » Alboinum ad Regnum captandum excitat; atque ita, tum Herulis, tum Go-

this, tum Graecis Italiam occupantibus, Longobardorum primus rex Alboinus habetur.

Rosmundam Coniugem obiurgat quae mortem eius meditatur; facinoris consilium Elmigiso communicat, qui per Peridaeum iubet Alboinum occidi, donec, ut longobardis iris liberetur, Elmigisi uxor facta, ad Exarcam Longinum effugit.

Ex Longini Regno Italiae Reginae titulo Rosmunda accenditur, quapropter Elmigiso mortem afferre meditanti, mors et ipsi affertur per vini poculum, quod et Rosmunda ipsa hausit non impigra.

Alboino successit Claephis, qui brevi et ipse occisus; Longobardis Regnum traditur per annos decem, et vera Ducum Confaederatio efficitur, cum sex et triginta fuissent Duces, et verum per ipsos faederative Reipublicae haberetur exemplum. Nec certi fines erant novae huiusmodi Dominationis, nec certi admodum Dominatores ipsi. Innotescit vero quanta et per Graecos et Longobardos Italiae irruerit calamitas, cum illi novam quasi Pentapolim, Ravennam scilicet Ancon, Humanam, Fanum, Pisaurum dominarentur, eodem tempore quo et Pataviae, et Monselicis et Cremonae Urbes, tum et Romam tum et proximas urbes tum Ianuensis tum Parthenopaei littoris undas, quum et idem dicam de Cotiis Alpibus et Seeusiensi Civitate.

Dominabantur Longobardi illo eodem tempore tum et Phriulis oras, tum et Aethruriam, oppidisque

Liguriae aliquibus non exceptis, Umbriae provincias tum citra tum ultra pedimontanos montes, tum et Campaniam et Appuliam. Atque ita factum est, ut nec quantum vel Gothi vel Graeci vel Longobardi dominationis fines obtinuerant neque diutius retinere poterant, una simul plures retinerent occupantes, atque in tribus diversis urbibus, Romae scilicet ubi Pontifex cum Romanis sedebat, Ravennae quam Graeci, Paviae quam Longobardi occupaverant.

Italiae finibus sic divisis, vere per Paulum Diaconum, dictum fuit « *spoliatae sunt Ecclesiae, et populi sunt extincti!* » Atqui evenit ut ex Romae exemplo quae tanta gaudebat immunitate, Italiae fere omnes populi ad Pontificem Pelagium confugerint, ut una cum Graeco Imperatore Maurizio Francos exoraret, tum ad seipsum sublevandum Romanae Ecclesiae Magistrum, tum et ad Romanum populum universum, cum Roma communis patria esset et Sedes Pontificis, cunctaque ideo, quae universo populo Christiano necessaria forent, auxilia non deficerent.

Childebertus ex Franchis primus Romam petiit, atque ex eo primum exemplum Galliarum Regum Romani Pontificis Sedem sublevantium, tum boni iuris exemplum contra iuris violationem, tum et nomen ipsius Romae antea Caesareae in Pontificiae Urbis nomen commutatum. Novum interea Regem Autarim elegerunt Longobardi, qui Calabros invisens, et usque ad Rhegii Urbem eveniens, lancea innixus ait « *huc*

*usques cum ego!* » iterumque Galli descendebant, penitusque Longobardos perdidissent, si eos vel tanta voluissent affici iactura, vel non tantum eorum tyrannidi deperdendae, quam Pontificiae Sedi sublevandae studere voluissent. Facile enim iter peragravit Autaris, cunctaque certe Italia Longobardorum minis occubuisset, nisi maximopere Italiae populi Arianam respuentes Religionem, Romanae Fidei Ortodoxae non nimium inniterentur.

A dicto Rege ad Desiderium perturbationes quamplurimas lamentabantur omnes, tum ex Regibus, finium regundorum observantiam respuentibus, tum ex Regum et Ducum ac populorum dissidiis in diem crescentibus. Nec Graeco Imperatore providente, Municipia ipsa providere sapienter sunt rata, obsequio et reverentia quam Episcopis et Pontifici praestabant; Atque post Catholicae Teodolindae gubernium et Agilulphi, qui primus ex huius exemplo Christi Religionem secutus est, post bellantis Rotaris opus, idest Longobardorum legum collectionem, (cum antea usu et consuetudine, magis quam legibus populi gubernarentur), Rodoaldi et Ariberti, Bertaridi et Cundeberti Regnum invaluit, donec Liutprandus maximam post Teodolindam et Agilulphum est gloriam consecutus. Et vere hic qui Cotiarum Alpium dominium Gregorio Secundo confirmaverat, unum Italiae Regnum efformare curavit nec valuit, ex eo quod Exarcatum dominari et ipsam Romam optabat, cum

tristes effectus haeresis Iconoclasticae magis magisque in diem apparerent.

Iura Sacerdotii usurpat Leo Imperator instigante Beser, eiusque edicto tum in Oriente tum in Occidente sacrae deperditae sunt imagines. Obsistit Gregorius Pontifex, eumque in diem sequuntur omnes fere populi, quotque Exarcatum relinquentes eum sequebantur, ipsique Longobardi eum defendunt ab ea fere nece qua eum discordes populi minabantur; et ipsam Italicam Pentapolim Liutprandus aggreditur, dum et Spoletanus et Beneventanus Ducatus semper et in dies Romano Pontifici sunt addictissimi. Horum in uno Ansprandus Gregorium eiusque Sedem a Graecis tuetur, et contentione inita inter eum et Ansprandum, Romani huic Regi et magis Pontifici addictissimi, hunc defendunt a Liutprando, et ita Longobardam iram sunt magis experti.

Nec ultra tardare poterat quin Gregorius Pontifex verae Italicae libertatis vindex Carolo Martello Christianorum preces dirigeret, qui universo suffragio, idest scienter et libenter, per Missos suos Claves ei afferrent, quibus reseratur Sancti Petri Sepulcrum per verba illa quae refert Baronius *Coniuro te per Deum vivum et verum, ut per sacratissimas Claves Confessionis Principis Apostolorum quas tibi ad regnum direximus, non praeponas amicitiam Principis Longobardorum amori Principis Apostolorum.*

Qnanta Regali dignitate Pontificis Maiestatem veneratus sit Rex ille, non vobis Auditores amplissimi difficile est comprehendere. Binos et hic Missos ad Pontificem delegat, ut, iuxta huius mentem, viderent quanta Romani plecterentur iactura, lacrimas pauperem et peregrinorum narrarent, et Ecclesiam Sanctam suam ut potissimum defenderet, exhortarentur.

Tanto deficiente Galliarum Principe, non minori cum laude Pipinus et Carolusmannus Paternam haereditatem diviserunt, et paternae gloriae aemuli et imitatores, studiorum ac laborum eius famam sunt pro Pontifice consecuti.

Eodem fere tempore et Liutprandus occubuit, qui Magnus et Pius dictus, leges collegit in unum, cumque ipsis Gallis faedera inivit, quae et ab his confringuntur ex eo quod contra Pontificem ausus fuerat adverso marte pugnare.

Ildebrandus nepos eius per sex menses Regnum tenet et a Natione deponitur, et brevi Ratchis Astulpho Coronam cessit, pergens insigne Casini Coenobium quod iam antea Carolusmannus petierat, omnemque auctoritatem Astulphus est assecutus; Pontificis et ipse hostis factus, dum Pipinus non minori cum studio et observantia eiusdem defensoris titulo gloriaretur.

Superadditis huius Regis insidiis, Stephanus Secundus Pontifex obsistit; cumque ab Orientis Imperatore Copronimo non obtineret auxilia et opes, rursus

et ille eidem Gallorum Principi Pipino voces convertit et preces, eumque ut Galliarum Regnum consolaretur praesens, per litteras exhortatur.

Non solum Principis sed Galliarum voces audiens Pontifex ad eos properavit, eorumque Regem coronavit Pipinum eiusque Filios Carolum et Carolum Mannum Patrizios declaravit, dum Exarcatus Pontifici perpetuo donatus legitur, potius quam iterum Graecis datus qui ab eo discesserant.

Nec inde procul factum est, ut Pipinus in Italiam descenderet, et Astulphum Papiae obsidione teneret, qui pacem deprecatur et per Pontificem ipsum obtinet, inito strictissimo foedere de Exarcatus aliisque Civitatibus Divo Principi Apostolorum servandis. Haec stipulatur pacta Pipinus, promittit Astulphus, eique nec pignora personarum recusat, quibus scilicet Pipinus ultra Alpes revertitur. Duodecim non adhuc elapsis mensibus, novum Astulphus iter aggreditur sine consilio, eoque Romam oppugnante, novae adduntur et Pipino preces, qui Alpes iterum transgrediens, iterum in Longobardos dimicat apud Seeusiam, iterumque obsidione tenens Asthulphum Papiae, oppugnatas Urbes reddendas decretat Pontifici, superaddita et Comaclensi, quam Romanae Ecclesiae largiebatur.

Fulradus Sancti Dionisii Abbas ea potitur ex Pipini decreto, et Exarcatus ac Pentapolis Urbibus et Oppidis perlustratis, una cum Asthulphi Deputatis pi-

gnora et Claves recipit; atque haec omnia, Romam revertens, supra tumulum deponit Divi Principis Apostolorum, explens ita donationis actum, quem Pipinus eidem Apostolorum Principi eiusque Successoribus incoaverat.

Ac tandem ut arbitror habemus hic, Auditores amplissimi, clarius Pontifici donationis monumentum, eademque tempestate narrant multi in Ducatu Spoletano inventam fuisse imaginem illam in lapide coelatam, qua Pipinus indicabatur Capitolium tenens prope Tibridis undas, quae pedes eius osculabantur. Tristissimo tunc enim cessit fato Astulphus, quin Romanam Pontificis Sedem expugnasset, eique Desiderio et Adelchi succedente, succedit Pipino Carolus, qui deinde Magnus dictus, postquam Caroli Manni dominia ad se traxisset, atque in Regalibus aedibus suis Gilbergam Viduam eiusque Filios Desiderius esset hospitatus.

Tantae Regalis domus angustiae et scelus additur Urbis captandae, eiusque sacra maenia Desiderium aggredientem Carolus Magnus aggreditur, qui tantum opus explens quod Hadrianus incoaverat, in Montiscenisii rupibus tentoria sua quae vere tentoria erant Israel, apud Taurini pedimontanum oppidum constituit. Expugnata Papiensi et Veronensi Civitate, deiectisque in vincula Desiderio et Adelchi, hostium mirantibus omnibus gloriosam necem eo in loco qui et hodie dicitur Mortara, longobarda vis omnis contra Gallorum vires evanuit; cumque tum ab Herulis et

Ostrogotis, tum et a Longobardis constituta Regna evanuissent, memoranda illa verba per unum et alterum Longobardum Regem in vincula deiectum prolata, quae praeclarissimus Italiadis Auctor refert:

. . . . . il mondo impari
Dai nostri casi a rispettar gli Altari.

Italiae Regnum gloriose expugnatum Carolus Magnus Leoni Tertio largitur, dum supra Principis Apostolorum tumulum Coronam auream deponit, cuius consilio et opera eum defenderat contra Paschalem Primicerium et Campulum Sacellarium.

Temporalis dominationis actibus quos Pipinus incoaverat confirmatis, Occidentalis Secundi Imperii patronus renuntiatus, quin Roma eiusque sapienti niteretur Senatu, ad Gallias iterum revertitur prout alter Constantinus, qui Lateranensem novam Basilicam ut conderet Aquisgranae, nobis legenda reliquit verba illa, quibus per Alexandrum Manzonium, reversum fuisse deprehendimus

. . . . . fra i tiepidi
Lavacri di Aquisgrano,
Ove deposta l'orrida
Maglia il guerrier Sovrano,
Scendea del campo a tergere
Il nobile sudor.

Atque hic revera Auditores amplissimi nec fallor, necnon certe vos qui tanto nitetis consilio et sapien-

tia tanta prout ruerint monumenta ignoratis. Lateranensis Basilica quae per Carolum Magnum stetit Aquisgranae, corruit ex eo, ut maior semper et una haberetur illa quae Romae per Constantinum Christo erigebatur Salvatori, eiusdemque Caroli laborum monumenta non videntur, nisi illa ut ita dicam pupilla fidei, qua credere cogimur Pontificis auctoritatem eius armis innixam semper et in aevum splendidius duraturam; unitatis enim Caesarei Imperii vis suffulta non erat vi Coelestis Imperii quod Christus ipse aedificaverat supra firmam petram!

Et vere Alboini barbaries quid erat aliud collata cum Ildebrandi ministerio, qui Diaconus Ecclesiae Sanctae Dei et Pontifex electus, mira prorsus et invidenda felicitate Romanorum rebellium iras compescens, et per Ruperti Guiscardi virtutem, Salernum felicissimus perveniens, populorum devotos sensus hinc et inde mirifice excitavit, providentissimum Deum Dominum et Regibus et populis et Catholicae Ecclesiae Sanctae suae quae una et Apostolica, tunc et in aeternum adfuturum esse comprobavit.

Sic exulis Pontificis opera nitescere debebant, opitulante Deo qui auctor est Ecclesiae suae, ut Ecclesiasticus Caelibatus statueretur, maculosae Simoniae monstrum proscriberetur, una cum Feudalibus Ecclesiae investituris, et Imperiali ipsius Pontificis Electionis confirmatione. Donationes auctae, Imperialis potentia imminuta, ac demum sublime admodum eius

consilium expletum de Cruciatis (quas ut inchoaret, frustra hortatus erat Arrigum) nos docent Auditores, quam sancte Ecclesiam gubernaverit, Imperiumque docuerit subiici Ecclesiae Potestati, eo quia Potestas et Imperium a Deo descendit, a quo descendit et libertas, quae quidquid homini liceat significat, nisi vi aut iure prohibeatur. Sed vim non pati posse Ecclesiam docuit Ildebrandus, cum vires omnes confregerit, nec ius aliquod detur contra ius Ecclesiae quae magistra dicitur veritatis, quapropter oculos ad Coelum elevans, haec omnia et spiritu videns moriturus et exul, cum cursum consumasset, fidem adimplesset, invictam animam Deo reddidit, his prolatis verbis memorandis « *dilexi iustitiam odivi iniquitatem*, *propterea morior in exilio!* »

Quid et Autaris iter significabat cum difficillimis tot tantisque itineribus quae spectatissimi Asseclae Francisci et Dominici, quibus tantum honestatur aetas mediana, in ultimas Asiae regiones peragrarunt ut Kaiut-Kan venerarentur? Hinc Marco Polo et Ioanni a Mandeville facilior maris cognitio, ex quo post tot rerum discrimina Italiam Romanam salutantes, quasi mercatores inventa margarita, excitassent populos ad aequoris undas contemnendas, ut Religionis primum principium, quod iuxta illud auctoris *fax est illuminans*, Romanos iterum ad principium bonum et utile induceret, ut mare peragrarent, ut opes augerent, ut

merces acquirerent iuxta illud Romani iuris adagium *nisi utile est quod facimus stulta est gloria.*

Quae autem par erat gloria ei quam Christus auctor pacis pollicitus est diligentibus se, cum dicatur Via Veritas et Vita? Tria haec autem munera ii consequuntur omnes qui Theologales docentur virtutes Fidem Spem Caritatem, quas Christus edocuit, Romanique Imperii Sedes per Apostolos communicavit Ignatio De Loyola, ut tot insignes Viri pietate et armis, haeresim per Luterum et Calvinum baccantem perderent profligarent. Tanta nec deessent praeclara facinora post Tridentinum Concilium usque ad Alphonsum De Ligorio et Paulum a Cruce, quorum primum gloriosus Pontifex Pius Nonus, universo plaudente Orbe terrarum, Ecclesiae Doctorem declaravit, et alterum cum Seraphico Leonardo (quos omnes ipse aegrotans benignissimos invocabam) scribebat gloriose in aureo numero Sanctorum. Oh utinam mirabiles isti Viri, aliique plurimi quos Sancta iactabit Ecclesia per Pontificis oraculum, vitam eius nobis pretiosissimam servent fortunent sospitent, donec errores novos per novas haereses impie admodum excitatos, et per Syllabum sapientissime confutatos, per Sacrosanctum Vaticanum Concilium quod feliciter inchoavit, felicissime et infallibili Pontificio Oraculo iterum valeat condemnare.

Tanta expectans bona tum Ecclesiastica tum Civilis Respublica novum hunc Petrum Bar-Ionam sus-

tentavit obulo Catholicae Caritatis, respuens concordi animo insanas Rhenani blasphaemias, qui novus Arius Christi divinitatem ausus fuerat denegare. Oh imperscrutabilia iudicia Dei! Tollamus ergo manus nostras in Sancta, laudantes Deum et benedicentes Dominum, et novam salutantes terrestrem Ierusalem, si quis unus vos inter, huius non speraret victoriam, hanc velut foederis Arcam vobis indicarem, qua non tantum electa Noemi familia, et pacis praenuntia servatur Columba, sed et ipsa magnopere recolitur Virgo Beatissima, quam per Prophaetas redimendo orbi Deus pollicebatur, et gloriosus Pontifex Immaculatam per sacrum Dogma declaravit.

Ac tandem tum post Aquilae Romanae glorias enarratas, tum post Crucis Signum supra Aquilam Romanam per universum terrarum orbem gloriosum, post Liutprandi et Caroli Martelli, post Pipini et Astulphi, post Desiderii nisus et Caroli Magni victorias, Theologalibus virtutibus excitatus, quas docuit et docebit infallibilis Romana Cathedra veritatis, vobis dicerem quasi in timpano et choro

O Crux ave spes unica
In hac triumphi gloria
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina!